



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De statu ariditatis ac derelictionis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

CAPUT XXIII.

De statu ariditatis ac derelictionis.

Sicut nemo est, cui in hoc mundo tam prosperè cedant omnia, quin aliquâ quandoque oppugnetur adversitate: ita nemo est, qui in oratione continuò suavitatibus & consolationibus cœlestibus perfruatur, quin aliquando ariditates experiatur ac derelictiones.

Ariditatem vocamus certum quendam statum, in quo animus ad id lassitudine, fastidio, ac sterilitate afficitur, ut nulli prorsus cogitationi bonæ intendere queat. *Definitiones:*

Derelictionem appellamus, quando Deus animam videtur deserere ac derelinquere sine lumine aut apertione, sine gustu aut affectu, sine devotione sensibili aut satisfactione: quasi destituta esset omni cogitatione aut attentione rerum divinarum; ut proinde totum, quod facere potest, consistat in eo, ut patiarur & coram divina Majestate sua consistat, quasi nec vitam haberet neque actionem. Ariditatis & derelictionis status quoad molestias perquam simillimi sunt. Quocirca de utroque simul eadem operâ agemus; nascuntur tamen ex causis diversis, quia ariditas procedit à nobis ipsis nostraque infirmitate: at derelictio expressiùs nobis immittitur à Deo pro nostra probatione, esto etiam non commiserimus defectus, qui pœnam hanc particularem promereantur.

*De
atione*

Anima in hoc statu constituta multum conturbatur, speciatim initio suæ conversionis, non raro supra modum atque omnino inconsolabiliter affligitur, cum cuncta inclinata ac desperata existimet, atque à Deo se credat odio haberi, cum ab ipso à conspectu suo rejiciatur; ad quod ubi sese reflectit, præteritasque recordatur delicias, quando nimirum montes ei stillabant dulcedinem, & colles lac & mel, aliud facere nequit, nisi gemere, atque etiam quandoque infelicitatem suam amarè deffere. Interea cœlum ei æneum, ipsaque regionem habitare ferream videtur. Exponemus igitur primò causas ac remedia ariditatis. deinde quomodo in illa nos habere debeamus. Ac tertio monita aliqua magni momenti hunc statum concernentia suggeremus.

*Causa ac remedia Ariditatis
spiritualis.*

I. **A**riditas ergo accidit primò in *pœnam* nostrarum priorum *evagationum* atq; *immortificationum*. Jure enim merito à nobis recedit Spiritus sanctus, ubi sensibus nostris nimiam indulsumus libertatem curiosa respiciendi, extra tempus colloquendi, proloquendi nugas ac facetias, similesque committendi defectus. Remedium aliud non est, nisi ut omnes hasce immoderationes atque errationes fidei cordis nostri observantiâ, atq; ad nosmetiplos attentione rescindamus.

2. Nascitur ex immoderata *solicitudine* ac *multiplicitate* circa res exteriores, quas facimus, tamen illæ etiam ab obedientia nobis sint deman-